prudētia: oñdens qꝫ loco ⁊ tp̄e fu/
rorē pſequentiū q̄n̄qꝫ declinare de/
bemus: ita nūc fortitudine vtit̄: qꝛ
tp̄e debito iminente ſponte redit vt
ſe offerat paſſiōi: ⁊ ſe in manus p̱/
ſequentium traderet: ſic aliq̄n̄ ſfuit
vſus tp̱antia: fugiēs honorem q̄n̄
turbe volueṙt eū facere regē. Et e/
cōtra tunc iuſticia vſus fuit q̄n̄ vo
luit vt rex honorari: q̄n̄ ꝑpl's cū ra/
mis palmaꝝ occurrit ei ſatis ho/
neſte: honorē voluit: ideo aſellam
aſcendit: vt refert Bern̄. in ſer. dici
oliuaꝝ. Iſtis ḡ quattuor virtutibꝫ
ſcꝫ prudētia fortitudine tp̱antia iu
ſticia vſus eſt dn̄s virtutū ad no/
ſtrā inſtructionē. Redijt autē dn̄s
die ſabbati ante diē oliuaꝝ betha/
niā que eſt ꝓpe hirl'm ad duo milia
ria: ⁊ ibi feceṙt ei cenā in domo Sy
monis leproſi: ibiqꝫ fueṙt Maria
⁊ Martha ⁊ Lazarus. Erāt forte ⁊
ꝯſanguinei: ⁊ multi domeſtici eidē
Symonis. Tūc Maria fudit ſup̱
caput eius librā vnguēti precioſi ⁊
ex eo vnxit ſibi caput ⁊ pedes. ⁊ q̊d
alia vice fert̄ eadē feciſſe ex ꝯtritiōe
Diligebat em̄ eū ſup̱ oīa: ⁊ d̊ obſe/
quendo ei nō poterāt ſatiari. Sꝫ d̊
hoc murmurat Judas proditor: p̱
qua dn̄s Jeſus rn̄dit: ⁊ eam more
ſolito defendit: tn̄ ꝓditor indigna/

tus rem̃ãſit: ⁊ iñ ꝑditiõis occaſio/
nẽ ſumpſit: ⁊ die mercurij ſeq̃nti ꝓ
xxx. argẽteis tradidit ⁊ vẽdidit. A/
ſpice eũ cenantẽ cũ iſtis amicis ſuis
⁊ ꝯuerſantẽ cũ eis illꝰ paucis dieb᷒
ſ. vſq3 ad paſſionẽ ſuã. Amplius aũt
ĩ domo Lazari. Domꝰ ei eiꝰ ⁊ ſoro
ris erat ſuũ refugiũ ſpeciale. ibi co
medebat ⁊ dormiebat cũ diſcipulꝰ
ſuis. Ibi ⁊ mr̃ eiꝰ dñã nr̃a cũ ſuis
ſororib᷒ q̇eſcebat. Multũ honora
bãt eã oẽs ⁊ marie Magdalena ſꝑ
eã aſſociãdo: ⁊ ab ea nõ recedẽdo.
Cogita quõ mr̃ dñi ſtat ſolicita de
dilectiſſimo filio ſuo: nec ab illo ſe
vllo tp̃e ſepabat. Et cũ dñs Mag/
dalenã defenderet dixit. Mittẽs h̃
vnguentũ ĩ corpꝰ meũ ad ſepelien
dũ me fecit. An nõ credis ꝙ hꝰ ver
bi gladiꝰ aĩam mr̃is ptrãſiret: q̇d
ci de ſua morte poterat expꝛeſſius di
cere. Silr̃ oẽs alij ſtabãt pterriti ⁊
anxij cogitatiõib᷒ pleni: colloquẽ/
tes adinuicẽ vnꝰ cũ altero hinciñ ꝺ
materia eoꝝ q̃ tũc dure ⁊ aſpere tra
ctari timebãt: ⁊ maxie qñ ibãt ĩ hie
ruſalẽ: qꝺ faciebãt q̃libet die. mlt̃a
ei ab iſta die ſabbati vſq3 ad diẽ ce/
ne locutꝰ eſt iudeis: ⁊ opatus palã
ĩ hirlz: ꝺ q̇b᷒ ñ intẽdo loq̇: niſi ꝺ ad
uẽtu ſr̃ aſellũ ne meditatõ paſſiõis
eiꝰ impediat: ſumꝰ ei in ianuis paſ
ſiõis vñ totũ tuũ collige ſpm̃ ne ſis
ad alia diſtractꝰ: vt tã ad myſteria
q̃ p̃cedũt: q3 ad ip̃az paſſionẽ mẽte
vacua ⁊ valde ꝑuigili poſſis intẽde
re: interim libenter in bethania cõ/
uerſari cũ predictis.

De aduentu domini Je/
ſu in hieruſalem ſuper aſel/
lum: Matthei. xxi. Marci. xi
Luce. xix. Joh. xij. Ca. LX

Frequentabat miniſteria ĩ/
plebant ſcripture ꝑ dñm Je
ſum: appropinquante tp̃e q̃
zelabat remediũ mũdo cõferre per
ꝓpꝛij corporis paſſionẽ. Igit die ſe/
quẽti ſũmo mane. ſ. die dñica para
uit ſe ad eundũ in hirlm nouo ⁊ in
ſueto mõ ſicut fuerat ꝓphetatum.
Cumq3 pergere vellet mater pio af
fectu retinebat eum dicẽs. Fili mi
quo vis ire? Tu ſcis ꝯſpirationẽ iu
deoꝝ ꝯtra te factã: quõ vadis inter
eos: rogo te nõ vadas. Silr̃ diſci/
pulis et alijs videbat intolerabile
ꝙ ibat: ⁊ vt poterãt retinebãt eum.
Dicebat Magdalena. Magiſter
nõ eatis ꝓ deo: vos ſcitis iudei de/
ſiderãt mortẽ veſtrã. Si vos eatis
in manus eoꝝ hodie: vos capiẽt ⁊
habebunt intentũ ſuũ. O ꝺs quõ
diligebãt eũ: ⁊ quõ erat eis amarũ
ſi q̇s lederet ip̃m. Ip̃e tñ qui ſalu/
tem oĩm ſitiebat: rñdebat eis. Vo
luntas patris mei eſt vt vadã: nõ
timeatis: q2 ip̃e nos defẽdet: ⁊ h̃ ſero
huc illeſi redibimus. Cepit igit ire
⁊ illa parua comitiua: ſ3 fidelis: ſe/
cuta eſt eum. Cũq3 veniſſet bethfa
ge. ſ. viculũ quendã in medio itine
ris miſit duos diſcipulos in hieru
ſalẽ vt adducerẽt aſinã ⁊ pullũ eiꝰ
alligatos in loco publico: ⁊ ad mi/
niſteriũ paupeꝝ deputatos. Quo
facto: dñs primo ſuper aſinã ⁊ pa/
rum poſt ſup pullũ aſcendit humi
liter: ſup quos diſcipuli veſtimẽta
poſuert: ⁊ ſic equitabat dñs mũdi.
Et q3uis iuſtiſſimũ eſſet eu3 hono/
rari: tñ tp̃e honoris dñs mundi ta
lib᷒ dextrarijs vſus eſt. Cogita q̃li
ter in hoc vituperauit pompã mũ
di. Non eñ fuert hec aĩali frenis ⁊
ſellꝰ deauratis ornata: more ſtulticie

mūdi:ſʒ vilib⁹ pannis ⁊ duob⁹ fu/
niculis: tñ nō eſt rex mūdi. Turbe
aūt hoc ſciuer̃t ⁊ exier̃t obuiā ei: et
eū vt regē cū hymnis ⁊ canticis: cū
veſtimentoꝝ ſuoꝝ expanſiōe: ⁊ ra/
moꝝ arboꝝ fractiōe: ⁊ magna leti/
cia ſuſceper̃t. Immiſcuit aūt cum
iſta leticia fletū. Nam cū eſſet ꝓpe
hirl'm: fleuit ſup illā dicēs. Quia
ſi cognouiſſes ⁊ tu ⁊c̃. ¶ Et debes
ſcire ꝙ trib⁹ vicib⁹ legimus deū fle
uiſſe. Primo ỏ morte Lazari. ſ. hu
manā miſeriā. Scd̃o hic. ſ. huma/
nā cecitatē ⁊ ignorantiā. Tertio in
paſſiōe ſua. ſ. humanā culpā ⁊ ma
liciā: q꞉ videbat ꝙ ſua paſſio ꝓ oī/
bus ſufficiebat: ſʒ nō oībus ꝓficie/
bat: q꞉ nec reprobis: nec duris cor/
de: nec īpenitētib⁹. De hac lachry/
matiōe ỏr ad Hebreos. Cum cla/
more valido ⁊ lachrymis ſe offerēs
⁊ exauditus eſt ꝓ ſua reuerētia. De
trib⁹ his vicib⁹ habet᷑ in textu: ſed
alibi tenet eccl'ia ꝙ fleuit. ſ. infan/
tulus. Vñ cantat. Vagit infans ī
ter arta poſitus p̃ſepia Nō fecit vt
myſteriū incarnatiōis dyabolo ze/
laret᷑. Cogita ip̃m flentē q̄ flere de/
beres cū eo: flet ei fortiter ⁊ largit᷑:
q꞉ non ſimulate: ſʒ vere dolebat de
ip̃is: vñ corde amaro flebat eoꝝ pe
riculū eternale. Predixit etiā eorū
excidiū tp̄ale. Aſpice diſcipulos q̄ʒ
diligēter vadūt iuxta eū cū metu ⁊
reuerētia. Ip̃i ſunt comites ⁊ baro
nes ſui. Aſpice ⁊ matrē ſequentē cū
aliis feīab⁹ ſeq̄ntib⁹: eiqʒ miniſtrā
tibus. Nec dēs credere ꝙ ip̃o flen
te potuer̃t lachrymas ꝯtinere. In/
trauit ḡ dñs Jeſus cū iſto triūpho
⁊ honore turbaꝝ in ciuitatē: ỏ quo
tota ciuitas eſt cōmota. Venit āt
ad templū: ⁊ eiecit vendētes ⁊ emē
tes. Et hec fuit ſcd̃a eiectio: ⁊ ſtetit
dñs Jeſus in templo predicās pu
blice ꝑpl'o: ⁊ rñdens p̃ncipibus et
phariſeis vſqʒ in ſero. Et licet hic
fuiſſet honoratus illa die: nō fuit
q̄ eum inuitaret ad prandiū. Tota
igit᷑ die ip̃e ⁊ ſui ieiunauer̃t: ⁊ ſero
cum eis bethaniā rediꝛt. Cogita q̄ʒ
humil'r vadit cū illis ꝑ ciuitatē: q̄
ſic mane honorifice venerat. Vnỏ
potes ꝯſiderare ꝙ paꝝ curandū ē
de honore mūdano: q̄ breuiter ter/
minat᷑. Conſidera etiā quō Mag/
dalena ⁊ oēs alii gaudebāt qñ ho
norabat᷑ a turbis: ⁊ maxīe cū betha
niā redierunt illeſi.

## ¶ Quō dñs Jeſus mortem ſuā p̃dixit matri. ¶ Ca. LXI

HIc pōt interponi meditatio
valde pulcra: ỏ qua tñ ſcri
ptura nō loquit᷑. Cenāte nā
q̄ʒ dño Jeſu die mercurii in domo
Marie ⁊ Marthe ⁊ matre eius ī
alia parte domus cū mulieribus
Magdalena miniſtrans rogabat
dñʒ dicēs. Magiſter ſitis memor
vt faciatis hic paſcha nobiſcū. Ro
go vos ne negetis hoc mihi. Quo
nō acquieſcēte ⁊ dicēte: ꝙ in hirl'm
faceret paſcha. Illa recedit cū la/
chrymis: ⁊ vadit ad matrē rogans
eā: vt illa cū ip̃o ibi paſcha teneat.
Cena igit᷑ facta venit dñs ad ma/
trē: ⁊ ſedet cū ea ſeorſum loquens
cū ea: copiā ſue p̃ſentie prebēs quā
in breui ſubſtracturus erat ab ea.
Aſpice q̄ʒ reuerēter dña ſuſcipit eū
⁊ cū eo affectuoſe morat᷑: ⁊ q̄ʒ reue/
renter ip̃e ſe habet ad ip̃am. Tunc
ill' colloquētibus Magdalena ve
nit ⁊ poſuit ſe ad pedes eoꝝ dicēs.
Dña ego inuitabā magiſtrū vt hic

paſcha faceret: ſꝫ vult ire in hirl'm:
rogo vos ne pmittatis ip̄m ire. Ad
quē mater. Fili mi rogo te nō ſic fi
at: ſꝫ hic facias paſcha. Scis ei ꝙ
inſidie ad te capiendū pate ſunt et
ordinate. Et dn̄s ad eā. Mat̄ mea
voluntas patris mei eſt vt ibi faciā
paſcha: qꝛ tp̄s redemptiōis venit:
mō implebunt̄ oīa que de me ſcri/
pta ſunt: ⁊ faciēt de me quicq̄d vo/
lent. At illa cū ingenti dolore vt au
diuit: intelligens bene ꝙ de morte
ſua loqueret̄: dixit ei mater vix va/
lens verba ꝯcepta pferre. Fili mi to
ta ꝯcuſſa ſuꝫ ad vocē iſtā ⁊ cor meū
dereliq̄t me. Prouideas pr̄: qꝛ ne/
ſcio quid dicā. Nolo ſibi ꝯtradice/
re: ſꝫ ſi placeret ſibi rogo eū vt diffe
rat ad pn̄s: ⁊ faciamus hic paſcha
cū iſtis amicis noſtris. Si vero ſi/
bi placet poterit prouideri de alio
mō redemptiōis ſine morte ſua: oīa
eīm poſſibilia ſunt ei. O ſi videres
inter hec verba dn̄am plorantē mo
deſte: ⁊ Magdalenā quaſi ebriā ḋ
magiſtro ſuo largiter ⁊ magnis ſin
gultibꝰ flentē forte nec tu poſſes la
chrymas ꝯtinere. Cōſidera tu quo
ſtatu eſſe poterat: qn̄ talia tracta/
bant̄. Dixit ergo dn̄s blande ꝯſo/
lans eas. Nolite flere. Scitis eīm
ꝙ obedientiā patris oportet imple
ri: ſꝫ pro certo ꝯfidite: qꝛ cito reuer/
tar ad vos: ⁊ tertia die reſurgā in/
columis. In monte ergo ſyon ſc̄m
voluntatē patris faciā paſcha: qui
mons eſt in hirl'm. Dixit aūt Ma
gdalena. Eum hic nō poſſum tene
re. Simus ergo ⁊ nos in domo no
ſtra de hirl'm: ſꝫ credo ꝙ nunq̄ꝫ ha
bui paſcha ita amarꝫ. Acq̄euit do/
minus Jeſus vt ip̄e in dicta domo
faceret paſcha.

De cena dn̄i Jeſu. Mat/
thei. xxvi. Marci. xiiij. Luce
xxij. Johis. xiij. Ca. LXII

Aduenīēte iam tp̄e ⁊ iminen
te miſerationū et miſcd'iaꝝ
dn̄i quo diſpoſuerat ſaluaꝫ
facere plebē ſuā: ⁊ eā redimere: non
auro neqꝫ argēto: ſꝫ p̄cioſo ſangui
ne ſuo voluit cenā cū diſcipulis no
tabilē facere anteq̄ꝫ ab eis p morte
diſcederet: inſignū memoriale re/
cordationis: Et vt impleret myſte/
ria que reſtabāt. Fuit aūt hec cena
magnifica valde: ⁊ ea q̄ fecit ibi do
minus Jeſus. Ad que intuenda cū
intentiōe ſūma te preſentē exhibe:
qꝛ ſi hoc digne ⁊ vigilanter feceris
nō patiet̄ te dn̄s cū aliīs redire ieiu
num. ¶ Circa iſtā cenā ſunt quat/
tuor p̄ncipal'r attendenda q̄ ibi no
tabiliter facta fuer̄t: que occurrūt
meditanda. ſ. corpalis cenatio: pe/
dum diſcipuloꝝ p dn̄m Jeſum ab
lutio: ſacramēti ſui ſacratiſſimi cor
poris ⁊ ſanguis inſtitutio: pulcerri
mi ſermonis per ip̄m compoſitio.
¶ Circa primū attende ꝙ Petrus
⁊ Johes iuerūt ḋ iuſſu dn̄i ad que
rendū amicū ſuū in mōte ſyon vbi
erat cenaculū grande ſtratū ad pa
randū. Sꝫ ⁊ dn̄s Jeſus cū aliīs di
ſcipul' dicit ouis aduesperaſcēte iā
die ciuitatē intrauit: ⁊ ad locū ip̄m
iuit. Aſpice ip̄m ſtantē in aliq̄ par/
te domus: ⁊ loquentē cū eis ſalu/
bria. Legi ī legēda bti Martial': ꝙ
ip̄e cū aliq̄bus de ſeptuaginta fuit
ip̄o ſero ad miſtrandū eidē Jeſu ⁊
duodecī recūbentibꝰ: ſꝫ ⁊ aquā por
tauit dn̄o Jeſu qn̄ lauit pedes di/
ſcipuloꝝ. Cum autē eſſent oīa in ce
naculo parata: dilectiſſimꝰ Johes

qui ſolicite ibat ad iuuandū in pre
fata prepatiōe venit ad dn̄m Jeſu3
dicēs. Dn̄e vos poteſtis cenare qn̄
placet: q2 parata ſūt oīa. Aſpice attē
te q̄ dicunt᷑ ⁊ fiūt: q2 myſterioſa ſūt
valde: nec abbreuiāda: ſ3 dilatāda
ſicut cetera facta dn̄i Jeſu. Jn hoc
eī eſt maxia res meditationū oīm
de ipō: ſ3 iſtius magis ꝓpter ardua
amoris inſignia q̄ ī hac cena fuer̄t
Surgit igit᷑ dn̄s Jeſus ⁊ diſcipuli
eius cū eo. Johēs vero lateri eiꝰ ſe
iungēs: ab eo ſe deinceps nō ſepa/
uit. Nullus ei ſic fidel'r adheſit vt
Johēs. Nam cū captus fuit ſecu/
tus eſt eū in atriū p̄ncipis ſacerdo
tū: nec in crucifixiōe: nec in morte:
nec poſt mortē dimiſit eū q̄uſq3 fu
it in ſepulcro. Jn hac aūt cena iu/
xta eū ſedit: licet eſſet iunior alījs.
Jntrāt ḡ cenaculū: lauāt manus:
⁊ circūſtantes benedicāt menſam.
Scire aūt debes ꝙ ipā mēſa erat ī
terra ⁊ more antiq̄ꝝ ſeder̄t in terrā
ad cenā. Erat aūt vt credit᷑ quadra
de pluribꝫ tabulis: quā ego vidi ro
me in eccl'ia lateranēſi: ⁊ eā mēſu/
raui. Eſt aūt in vno quadro duorū
brachioꝝ ⁊ palmi vl' circa: ita ꝙ li/
cet arte tres diſcipuli vt credit᷑: ſede
bāt in quolibet quadro: ⁊ dn̄s ī ali
quo angulo: ita ꝙ oēs in vno cati
no comedebāt: ꝓpter hoc dixit dn̄s
Jeſus. Qui intingit mecū manu3
in catino: hic me tradet: q2 oēs in/
tingebāt. Benedictōe igit᷑ perfecta
ꝑ dexterā dei: ſedēt circa menſam.
Johāne ſedente circa dn̄m Jeſum
S3 attende ꝙ dupliciter potes h̄
meditari. Vno mō ꝙ ſedeāt ſicut
dixi. Alio mō vt ſtent recti cū bacu
lis in manibꝫ: comedētes agnū cū
lactucis agreſtibꝫ: ⁊ alia obſeruan

tes que ī lege obſeruant᷑: dūmodo
poſtea ſedeāt ad aliq̄d aliud man/
ducandū: vt ex pluribꝫ locis colli/
git᷑. Nam nec Johēs ſupra pectus
dn̄i niſi ſedēdo potuiſſet recūbere.
Delato igit᷑ agno paſcali aſſato: ac
cepit eū verus ⁊ īmaculatus agnꝰ
dn̄s Jeſus: q̄ erat in medio eoꝝ ſi/
cut q̄ miniſtrat: ſcindit eum in fru/
ſta: diſcipulis alacriter porrigit: et
ad comedendū ꝯfortat. Jpi vō co/
medebāt: ſ3 alacriter nō capiebāt:
ſemꝑ pauidi ne nouitas ꝯtra dn̄m
fieret. Cenātibꝫ aūt eis patefecit fa
ctū apertius ⁊ inter alia dixit. De/
ſiderio deſideraui hoc paſca vobi/
ſcū manducare anteq̄3 patiar: vnꝰ
aūt vr̄m me tradituruꝰ eſt. Hec vox
in corda eoꝝ tanq̄3 gladius intra/
uit: ⁊ comedere ceſſauer̄t aſpicien/
tes ſeipōs ⁊ dicentes. Nunq̄d ego
ſum rabbi? Cogita in q̄to dolore
poſiti ſunt auditis verbis iſtis. Jl
le aūt ꝓditor ne viderent᷑ hec verba
pertinere ad eū: comedere nō ceſſa
uit. Johānes aūt ſtupefactꝰ ⁊ cor/
dialiter gladiatus verſus eū ſe in/
clinauit: ⁊ ſuꝑ pectꝰ eius recubuit
Petro autem dominus nō dixit:
quia vt dicit Auguſtinus: ſi illum
proditorem ſciuiſſet: dentibus de/
ſcripſiſſet. Sed per Petrum figu/
rantur actiui: per Johannem con
templatiui. Unde habes hic argu
mentum ꝙ contemplatiuus non
intromittit ſe de extrinſecis operi/
bus: de ipiſq3 offenſis dei vindictā
non expedit: ſed interius gemens
per orationem ad deum ſe conuer/
tit: et fortius ei per contemplatio/
nem approximans: eiq3 adherens:
omnia ſue diſpoſitioni committit.
Et de tempe vocatiōis intellige cū

habet copiã ſponſi aĩa. Aliqñ autẽ ꝯtemplatiuus ex zelo dei ⁊ aiaꝝ: exterius exit ad primũ: vt dicunt ſancti. Hic habes ꝙ nec Johãnes dixit Petro: licet ad mutũ queſiſſet. Vñ potes colligere ꝙ ꝯtemplatiuus ſecretũ dei reuelare nõ debet. Vñ legit̃ de beato Franciſco: ꝙ reuelatiões occultas nõ diuulgabat exterius: niſi q̃tum fraterne ſalutis zelus vrgebat: vl' ſupne reuelatõis dictabat inſtinctus. Aſpice dñi benignitatẽ qualiter dilectũ ſuũ ſup pect⁹ retinet. O q̃z tenerrime ſe ad inuicẽ diligebãt. Cogita diſcipl'os triſtes ad vocẽ dñi: nec comedẽtes ſe inuicẽ aſpiciẽtes: ⁊ ſuper his ꝯſiliũ capere neſciẽtes. ¶ Circa ſcd̃m diligẽter attende. His em̃ ſic ſe habentib⁹: ſurgit dñs a cena: ſurgũt ⁊ diſcipuli ignorãtes quo ire vellet Ipſe vero deſcendit cũ eis in alium locũ inferius in eadẽ domo: vt dicunt q̃ locum videt̃: ⁊ ibi oẽs fecit ſedere: aquã ſibi iubet afferri: ponit veſtimẽta ſua: lintheo ſe precinxit: aquã miſit in peluim lapideam vt lauaret pedes eoꝝ. Recuſat petrus: ſed audita chriſti cõminatione ſapiẽter mutat ꝯſiliũ in melius. Inclinat ſe ſũma maieſtas ⁊ magiſtra humilitatis vſq; ad pedes piſcatoris. Stat curuus ⁊ flexis genib⁹ corã ipſis ſedẽtib⁹ lauat ꝓpꝛijs manib⁹: ⁊ tergit ⁊ oſculat̃ oĩm pedes. Sz ⁊ illud ſuperexaltat humilitatẽ: q: ⁊ proditori eadẽ prebet officia. O q̃z benigna eſt tanta benignitas ⁊ humilitatis profunditas Hoc cõpleto myſterio redit ad locum cene: ⁊ iteꝝ recũbens: eos ad ſuũ exemplũ imitãdũ ꝯfortat. Potes meditari ꝙ dñs Jeſus exemplum dedit nobis in iſto ſero q̃nq; magnaꝝ virtutũ. Primũ humilitatis: lauando pedes. Scd̃m charitatis: in ſacramẽto ſui corporis ⁊ ſermone: q̃ eſt monitis charitatis plenus. Tertiũ patiẽ: ſuſtinẽdo ꝓditorẽ ⁊ oꝓprobria m'lta q̃ñ fuit captus ⁊ ductus vt latro. Quartum obediẽtie: eundo ad mortẽ ⁊ paſſionem ex obedientia patris. Quintũ oꝛonis: orando trib⁹ vicib⁹ in orto. In his q̃ virtutib⁹ eũ imitari conemur. ¶ Tertio circa tertiũ meditãdo: obſtupeſcite illam digniſſimã charitatẽ qua ſe nobis tradidit ⁊ reliquit ſeipm̃ in cibũ. Cum ergo dominus lotis pedib⁹ diſcipuloꝝ iterũ recubuiſſet: volẽs finẽ dare legalib⁹ ſacrificijs: ⁊ nouũ incipere teſtamentũ: ſeipm̃ veꝝ ſacrificiũ dedit: ⁊ accipiẽs panẽ: ⁊ oculos leuauit ad patrẽ: ꝯfecit altiſſimũ ſacrm̃ corporis ſui: ⁊ dans diſcipulis ait. Hoc eſt corpus meũ qđ ꝓ vob̃ tradet̃. Sil'r ⁊ calicẽ. Hic eſt ſanguis meus q̃ ꝓ vobis fundet̃. Et ꝓpꝛijs manib⁹ cõmunicat dilectã familiã ſuã: ⁊ in amoris recordationẽ ſubiunxit. Hoc facite in meã cõmemorationẽ. Hoc ẽ memoriale qđ aiaꝝ facit deo gratã: cum ſuſcipit digne manducãdo. Hec fidel'r meditare ⁊ toto diuini amoris igne inebriare: ⁊ in ipm̃ dñm Jeſuz pre amoris ⁊ deuotiõis vehemẽtia total'r trãſformare. Nihil em̃ maius: chari⁹: ⁊ dulcius nobis relinquere potuit: q̃z ſeipm̃. Ipſe nanq; quẽ in ſacramẽto altaris ſumimus: ille idẽ eſt q̃ ex virgine incarnatus eſt: ⁊ mirabiliter natus: q̃ ꝓ nobis mortẽ ſuſtinuit: q̃ ſurgẽs glorioſe: ⁊ aſcendens ſedet a dextris dei: ipſe q̃ crea/

uit celũ ⁊ terrã ⁊ oĩa: q̄ põt nob̄ da
re vitã ⁊ mortẽ: paradiſum ⁊ infer/
num. ¶ Circa quartũ vero ad ſoẽm
cumulũ ſuperfluentẽ attende alia
dilectiõis inſignia. Fecit em̄ eis ſer
monẽ pulcerrimũ: plenum ignitis
carbonib⁹ dilectiõis. Cõmunicauit
ãt diſcipulis ⁊ Juda peſſimo: licet
in cõmunione nõ fuerit ſm aliq̄s:
dixit ipe Jude dñs Jeſus: qd̄ facis
fac citius. Jlle autẽ infelix iuit ad
pncipes ſacerdotũ: q̇b⁹ cũ die pre/
cedenti vendiderat triginta argen/
teis: ⁊ petijt ab eis cohortẽ ad ipm
capiendũ. Jnterim aũt dñs Jeſus
fecit diſcipul' dictũ ſermonẽ: ex cu/
ius ornata vtili ⁊ venerãda magni
tudine q̇nq3 pncipaliter meditan/
da aſſume. Primo qualitẽr predi/
cens eis diſceſſum ſuũ ꝯfortat eos
Dicebat em̄ adhuc modicũ vobi/
ſcum ſum: ſ3 nõ derelinquã vos or
phanos: vado et venio ad vos: et
gaudebit cor vr̄m. Hec ⁊ his ſimi
lia q̄ ſuccincte tranſeo: dicebat eis
q̄ corda eoꝝ totaliter penetrabant
Non em̄ de receſſu ſuo poterãt ali
quid pacifice tolerare. Scd̃o circa
ſermonẽ mediteris qualiter cordia
liter ⁊ inſtanter inſtruxit eos d̄ cha
ritate dicẽs plurib⁹ vicib⁹. Hoc eſt
mandatũ meũ vt diligatis inuicẽ.
Et his ſil'ia: q̄ poteris in euãgelio
legere. Tertio circa ſermonẽ medi
teris q̄liter monuit eos ad obſer/
uantiã mandatoꝝ ſuoꝝ. Si dili/
gitis inq̇t me mãdata mea ſerua/
te: ⁊ ſi precepta mea ſeruaueritis:
manebitis in dilectiõe mea: ⁊ ſil'ia
Quarto circa ſermonẽ cogita qua
liter dat eis ꝯfidentiã ꝯtra tribula
tiões q̄s eis predixit venturas eſſe
Jn mũdo inq̇t preſſurã habebitis

in me aũt pacem: ſ3 ꝯfidite: ego vici
mundũ. Et iteꝝ. Si mundus vos
odit: ſcitote q2 ⁊c̄. Jtem. Mũdus
gaudebit: vos aũt ꝯtriſtabimini: ſ3
triſticia vr̄a vertet͛ in gaudiũ: ⁊ ſil'ia
Quinto q̄liter Jeſus aſpiciens in
celũ ꝯuertit ſe ad patrẽ dicẽs. Pa
ter ſerua eos q̊s dediſti mihi. Cu3
eſſem cũ eis ego ſeruabã ⁊c̄. Mirꝫ
certe quõ diſcipuli q̇ tam vehemẽ/
ter dñm ſuũ amabãt: hec verba ſu
ſtinere potuer͛t. Si g̊ que in hoc ſer
mone dicta ſunt attente diſcuſſer͛
⁊ meditãdo ruminaueris diligent͛
in eoꝝ dulcedine requieſcẽs: meri/
to inardeſcere poteris in tantã di/
gnationẽ: benignitatẽ: prouiden/
tiã: diligentiã ⁊ charitatẽ: ⁊ alia q̄
per eũ hoc ſero geſta ſũt. Aſpice q3
efficaciter deuote ⁊ delectabilit͛ lo/
quens imṗmit diſcipulis q̄ narrat
in amenitate verboꝝ ei⁹ ſpũs. Co/
gita q̄l'r diſcipuli ſtant meſti ⁊ capi
tib⁹ inclinatis: lacbrymãtes ⁊ ſuſpi
rãtes: ſunt ei pleni triſticia vſq3 ad
ſummũ: vñ ipe teſtimoniũ perhi/
buit dicẽs. S3 q2 hec dixi vob̄: tri/
ſticia impleuit cor vr̄m. Jnter alioſ
aũt aſpice Johannẽ ei familiariter
coherentẽ: q3 attente ⁊ diligẽter a/
ſpicit dilectũ ſuũ ⁊ anxiat͛: oĩa em̄
verba recolit. Nã ipe ſcribẽs ſolũ/
mõ ea nob̄ tradidit. Jnter alia q̊3
eis dixit. Surgite eamus hinc. O
q̄3tus pauor tunc in eos intrauit:
neſciẽtes q̊ ire deberẽt: d̄ ei⁹ ſepara
tiõe plurimũ formidãtes. Poſtea
locutus eſt eis cõplendo ſermonẽ
eundo p viã multa edificatoria ver
ba. Tandẽ cunctis cõpletis myſte
rijs vadit cũ eis in ortũ trãs torrẽ/
tẽ cedron: ⁊ ibi ſuũ pditorẽ ⁊ arma
tos ꝯ eũ iudeos expectat. Que ãt

ſequunť ſpectãt ad paſſionẽ: q̄ oĩa ibi reſeruamus.

## ¶ De paſſione dñi Jeſu in generali. Math. xxvi. ⁊ xxvij Marci. xiiij. Luce. xxij. ⁊ xxiij Jo. xviij. ⁊ xix. ¶ Ca. LXIII

Occurrit vt de paſſiõe dñi Jeſu nunc tractemus. Qui ḡ in paſſiõe dñi Jeſu gloriari deſiderat: ſedula intentiõe debet in ea inſiſtere. Naȝ multa ꝑſcrutanti eã pñt occurrere inſeparate: q̄ ſibi preſagia ⁊ participia glorie videbũtur. Te ḡ hortor: vt q̄ ſingulariter attẽdiſti ꝓmiſſa q̄ de ipſius vita dicta ſunt: hic multo viglãtius totã apponas aĩaȝ ⁊ virtutẽ vt affectuoſe diligẽter ⁊ moroſe ac ꝑſeuerãter: nõ ꝑ ſaltus: aut attediatus mediteris in ea: q: hic apparet maxĩa eiꝰ charitas: q̄ corda nr̃a taliter ↄcremare deberet. Cuncta vero cũ ſolita modificatiõe accipe: q̄ ſic pie meditari pñt vt narrabo. Non eĩ in opuſculo aliq̄d affirmare intendo: qđ nõ p ſanctã ſcripturã: per dicta ſanctoꝝ: ꝑ opiniões ꝓbatas affirmeť Videť ãt mihi poſſe ñ ĩcõgrue dici: ꝙ nõ ſolũ illa penal' ⁊ mortal' crucifixio dñi ieſu: ſȝ etiã q̄ ꝓceſſeꝛt fr̃ vehemẽtiſſime cõpaſſiõis amaritudinis ⁊ ſtuporis. Quid eĩ eſt cogitare: ꝙ dñs noſter ſuꝑ oĩa đs benedictus: ab hora q̄ nocte captus fuit vſqȝ ad ſextã ſue crucifixiõis horam fuit in bello cõtinuo doloribꝰ magnis: obprobrijs. illuſionibꝰ: et tormentis. Non eñ ſibi dabať vel modica requies. Sȝ in quali bello ⁊ ↄflictu: audi ⁊ vide. Alius eñ apprehendit: alius ligat: alius inſurgit in eũ: alius exclamat: alius impellit: alius blaſphemat: alius expuit in eũ: alius circũuoluit: alius interrogat: alius ↄtra eũ falſos teſtes querit: alius querẽtes aſſociat alius ↄtra eum falſum teſtimoniũ dicit: alius accuſat alius illudit: alius oculos velat: alius faciẽ cedit: alius collaphiſat: alius ad columnã eum ducit: alius dum ducitur percutit: alius expoliat: alius vociferat: alius inſultat in eũ: aliꝰ ad vexandũ ſuſcipit: alius ad colũnam ligat: alius in eũ imperiũ facit alius eũ in cõtumeliã purpura veſtit: aliꝰ eum ſpinis coronat: alius harundinẽ in manu eiꝰ ponit: aliꝰ furebunde eũ accipit: vt ſpinoſum caput per [illegible]tiat: alius deriſorie genuflectit: aliꝰ vt regẽ ſalutat. Hec ⁊ his ſimilia multa: nõ ſolũ alius: ſȝ ⁊ alij plurimi intuleꝛt. Deduciť ⁊ reducíť: ſpernitur: reprobať: voluitur: circumfertur hucilluc quaſi ſtultus ⁊ imbecillis. Sed ⁊ tanq̄ȝ latro et impijſſimus malefactor: modo ad Annam: modo ad Cayphã: modo ad Pylatũ. Et ibidẽ modo intus: modo foris induciť ⁊ reducitur. Item ad Herodẽ: ab eo veſte alba indutus ⁊ illuſus: et ſic remittitur ad Pylatũ. Deus meus quid eſt hoc? Nonne tibi videtur duriſſimũ et amariſſimũ bellum? Sed expecta parumper ⁊ duriora videbis: quia ſtant contra eũ minaciter ⁊ conſtanter principes ⁊ ſeniores populi: ⁊ milia populi: et clamabant vt crucifigatur. Conſentitur a iudice ⁊ ſententia datur vt crucifigať. Crux humeris ſuis fractꝭ apponiť in q̄ crucifigať. Concurꝛt vndiqȝ ciues ⁊ aduene: maiores ⁊ miores: ribaldi ⁊ iniq̄ pctõres

nō ad cōpatiendū: ſꝫ irridendū: nō
eſt q̇ eū cognoſcat: ſꝫ luto ꝛ imun/
dicys eū impetūt ꝛ affligūt: ꝛ dum
ignominiā ſuā portat factus eſt in
parabolā. Contra eū loquebanṫ q̇
ſedebāt in porta: ꝛ in eū pſallebant
q̇ videbāt vinū. Impelliṫ ꝛ anxiaṫ:
trahiṫ: acceleraṫ: ꝛ ſic fatigatꝰ ꝛ ma
ceratus; flagellatꝰ: ꝛ opprobrijs la
ceſſitus: ꝛ vſqꝫ ad ſummū laceratꝰ
nō ſiniṫ quieſcere: nec eiſe in ocio:
vix poteſt refocillare ſpm̄ quouſqꝫ
peruentū eſt ad caluarie locū vndi
qꝫ īmundiſſimū. Et hec oīa cū im/
petu ꝛ furore fecerṫ. In ipō aūt lo/
co finis ꝛ quies bello de q̄ tracta/
mus imponiṫ. Sꝫ que eſt illa quí/
es? Crucifixio. eſt: lectꝰ ꝺoloroſus
eſt. Ecce qualꝰ quies aſperior bello.
Uides ergo quō vſqꝫ ad horā no/
nā perpeſſus eſt longū durū ꝛ ꝯti/
nuū bellū. Uere intrauerṫ aque vſ
qꝫ ad aīam ſuā: ꝛ vere circūdederṫ
eū canes mlṫi: terribiles ꝛ feroces.
Et vere ꝯſiliū malignantiū obſedit
eū: q̇ vt gladiū biſacutū acuerūt in
eū: ꝛ liguas ꝛ manus. Ex his igiṫ q̄
dicta ſunt: expedita videnṫ que de
paſſiōe dn̄i dici poſſunt ſūmatim i
tribꝫ primis horis. ſ. matutinali ꝓ
ma ꝛ tertia. Sꝫ meditatio paſſiōis
in hora matutinali nō eſt ſic ꝑcur/
renda. Non eſt em̄ tanta amaritu/
do ꝛ pena dn̄i noſtri Jeſu chriſti ſic
leuiter pertractāda. Nam hec cuꝫ
quadā generalitate dicta ſunt: ſꝫ vi
demus ſingula diligēter. Non em̄
decet nos tedere illa cogitare: que
dn̄m pro nob̄ nō teduit tolerare.

## Meditatio paſſionis do/ mini Jeſu in hora matuti/ nali. Ca. LXIIII

Reaſſume igiṫ meditatiōes
iſtas a principio paſſiōis: ꝛ
proſequere vſqꝫ ad finē: de
qbꝫ breuiter tangā. Tu vero vt pla
cet exercita te in altioribꝫ: vt dn̄s ti
bi dabit. Attende igiṫ ad ſinglꝫa ac
ſi preſens eſſes: ac cerne eū attente
cū a cena exiens ſermone cōpleto i
ortū cū diſcipulꝫ: vadit vltimo nūc
ab eis itinere ſociādus: qꝫ ſtudioſe
qꝫ ſocialꝫr ꝛ familiariter loquiṫ cuꝫ
eis: ꝛ ad orationē hortatur: quō ipe
puſillū infra iactū lapidis progre/
diens humilꝫr poſitus orat patrē.
Hic parumper ſuſtine ꝛ mirabilia
dn̄i tui pia mēte reuolue. Orat nē
dn̄s Jeſus: ſꝫ hactenꝰ legiṫ oraſſe
pluries: ſꝫ pro bonis tunc vt aduo
catus noſter: tunc autē pro ſe orat.
Cōpatere ergo ſibi ꝛ mirare ꝓfun/
dam humilitatē ſuā. Cuꝫ em̄ ſit ds
patri ſuo coeternus ꝛ coequalꝫ: ob/
litus videṫ ſe deū eiſe: ꝛ orat vt hō:
ſtat quaſi quidā homūculus ꝺ po
pulo deū orans. Attende ꝑfectiſſi/
mā obedientiā. Quid ei orat? Cer/
te orat vt nō moriaṫ ſi patri eiꝰ pla
cet: ꝛ cū patre habet expedire iſtud
negociū: ꝛ nō exaudiṫ ꝑm aliquam
voluntatē q̄ erat in eo. Fuit em̄ in
ipō multiplex voluntas vt dicā: et
in hoc tu cōpatere. Uult em̄ pater
penitꝰ vt moriaṫ: ꝛ ei qꝫuis vnico
filio dilecto nō pepercit: ſꝫ pro nob
oībꝫ tradidit illū. Sic em̄ ds dile/
xit mūdū: vt filiū ſuū vnigenitū da
ret. Dn̄s Jeſus hāc obedientiā ſu
ſcipit ꝛ exequiṫ reuerēter. Uide etiā
indicibilē charitatē circa nos tam
patris qꝫ filij cōpaſſionē: admira/
tiōe ꝛ veneratiōe digniſſimā ꝑ nob
mors induciṫ ꝛ ſuſtineṫ ꝓpṫ nimiaꝫ
charitatē. Orat ḡ dn̄s Jeſus patrē

prolixe dicēs: Mi pater clemētiſſi
me: rogo te vt exaudias orationē
meā: ⁊ ne deſpexeris deprecationē
meā: intende mihi ⁊ exaudi me: qꝛ
ꝯtriſtatus ſum in exercitatiōe mea
⁊ anxiatus eſt in me ſpūs meus: in
me turbatum eſt cor meū. Inclina
ad me aurē tuā: ⁊ intende voci de/
precatōis mee. Tibi pater cōplacu
it me in mundū mittere: vt pro in/
iuria nobis ab hoīe facta: ſatiſface
rē: ⁊ ſtatim cum voluiſti dixi: Ecce
ego vadā. Et tunc ī capite libri ſcri
ptum eſt de me vt facerē voluntatē
tuā ſicut volui: voluntatē tuā ⁊ ſa
lutare tuū dixi. Pauper ego ſum ⁊
in laboribus a iuuentute mea: fa/
ciens voluntatē tuā: ⁊ oīa que mā
daſti mihi feci: paratus cōplere q̄
reſtant. Si tm̄ pater fieri poteſt: tol
le a me tantā amaritudinē: que mi
hi parata eſt ab aduerſarijs meis.
Vides em̄ q̄ꝫta machinanꝛ aduer
ſum me ⁊ quot ⁊ q̄ꝫta falſa mihi ī/
ponunt: ꝓpter q̄ accipere aīam meā
ꝯſiliati ſunt. Sꝫ pater ſi feci ea: ſi ē
iniq̄tas in manib⁹ meis: Si reddi
di retribuētib⁹ mihi mala: decidā
merito ab inimicis meis inanis.
Ego em̄ que placita ſunt tibi ſemꝑ
feci. Ipi vero poſuerꝛt aduerſū me
mala ꝓ bonis: ⁊ odiū pro dilectiōe
mea: ⁊ diſcipulū meū corruperꝛt: et
ſuū ducē ad me perdendū fecerꝛt: ⁊
appenderꝛt mercedē meā trigita ar/
genteis: q̄bus ſum ab eis vendit⁹.
Rogo igiꝛ te pater mi vt trāſferas
a me calicē iſtū. Si autē tibi aliter
videꝛ: nō mea voluntas ſꝫ tua fiat.
Exurge in adiutoriū meuꝫ: feſtina
pater vt adiuues me. Dato em̄ di/
lectiſſime pater ꝙ me neſcirēt filiū
tuū: qꝛ tm̄ cum eis innocentiā duxi
⁊ multa eis beneficia ꝯtuli: nō de/
berent in me ſic crudeles exiſtere.
Recordare ꝙ ſteterim in cōſpectu
tuo vt loquerer ꝓ eis bonū: ⁊ auer
terē indignationē tuā ab eis. Nun
q̄d redditꝛ pro bono malū: qꝛ fode/
runt aīe mee: ⁊ mortē mihi turpiſſi
mā parauerꝛt. Tu vides dn̄e ne ſi/
leas: ne diſcedas a me: qm̄ tribula
tio proxima eſt: ⁊ nō eſt q̄ adiuuet.
Ecce in ꝯſpectu tuo ſunt oēs q̄ tri/
bulant me querētes aīaꝫ meā. Im
properiū expectauit cor meū ⁊ miſe
riā. Et redijt dn̄s Jeſus ad diſcipu
los excitans eos ⁊ de orādo exhor/
tans. Itē ſcđo ⁊ tertio ad orationē
redijt in trib⁹ diuerſis locis ab in/
uicē diſtantib⁹ ꝑ iactū lapidis: nō
q̄ꝫtum quis excutiens proijcere pt̄:
ſꝫ q̄ꝫtum ſine magna violentia lapi
dem mitteret. Et vt habeo a fratre
meo q̄ ibi fuit adhuc in ipis locis
veſtigia ſunt eccleſiaꝝ: que ibi fa/
cte fuerꝛt. Rediēs ergo dn̄s Jeſus
ad orationē vt dixi ſcđo ⁊ tertio eū/
dem ſermonē orauit ⁊ addidit. Pa
ter iuſte ſi ſic decreuiſti vt crucis pa
tibulū pro genere hūano ſuſtineā:
fiat voluntas tua. Sꝫ recōmendo
tibi dilectiſſimā matrē meā: ⁊ dile/
ctiſſimos diſcipulos meos quos
huc uſqꝫ ſeruaui cū eſſem cum eis.
Pater mi ſerua eos a malo. Et in/
terim ſacratiſſimus ſanguis cor/
poris ſui vndiqꝫ in mūdo ſudoris
erumpēs in hac agonia ſeu certa/
mine dū prolixus orat vſqꝫ ad ter/
rā abundanter decurrit. Conſide/
ra q̄ꝫta eſt aīe ſue anguſtia: illudqꝫ
aīaduertere debemus ꝯtra impa/
tientiā: qđ Jeſus trib⁹ vicibus ora
uit anteq̄ꝫ reſpōſum acciperet. Cū
aūt ſic orat ⁊ anxiatur dn̄s Jeſus:

ecce angelus dñi ꝑnceps Micha
el aſtitit ꝯfortās eū ⁊ dicens. Sal/
ue dñe deus meus Jeſu: Orationē
tuā et ſudorē ſanguineū patri tuo
obtuli in ꝯſpectu totius curie ſuꝑ/
ne: ⁊ oēs procidētes ſupplicauim⁹
vt calicē hunc tranſferret a te. Et
pater rn̄dit. Nouit dilectiſſimus fi
lius meus ꝙ hūani generis redē/
ptio quā ſic optamus ſine ſui ſan/
guinis effuſiōe decenter fieri nō po
teſt: iō ſi ſalutē vult aīaꝝ oportet ꝑ
ip̄is mori. Quid ḡ fore decernis?
Tunc dixit dñs Jeſus angelo. Sa
lutē aīaꝝ oīno volo: iō potius eli/
go mori vt ſaluent̄ quas ad imagi
nē ſuā pater creauit: fiat igit̄ volun
tas patris mei. Et angelus ad eū.
Conforta ⁊ viriliter agere: excelſuꝫ
ei decet magnifica facere. Cito trāſ
ibunt penoſa: ⁊ perpetua glorioſa
ſuccedent. Dicit pater ꝙ ſp̄ tecū eſt
⁊ matrē tuā ⁊ diſcipulos ip̄e ꝯſer/
uabit ⁊ reddet incolumes. Et hūi/
lis dñs hūiliter ⁊ reuerenter ſuſci/
pit hanc ꝯfortationē a ſua creatu/
ra ꝯſiderās ſe minoratū paulomi/
nus ab angelis dū eſt ī hac lachry/
maꝝ valle. Et ſicut triſtabat̄ vt hō:
ſic in verbis angeli ꝯfortatus fuit
vt hō: ⁊ valefecit ei rogās vt eū pa/
tri recōmendaret ⁊ toti curie celeſti
Surgit igit̄ tertio ab orōne totus
ſanguine madefactus quē aſpice
tergentē ſibi vultū vel lauantē: to/
tūqꝫ afflictū reuerenter cerne: inti/
meqꝫ cōpatere: qꝛ nō ſine ingenti a
cerbitate doloris ſi hoc ꝯtigere po
tuit. Dicunt tn̄ ſapientes expoſito
res: ꝙ dñs Jeſus patre morabat:
nō tā timore patiēdi: q̄ꝫ cōpaſſione
prioris ꝓpl'i: qꝛ cōpatiebat̄ iudeis q̄
de morte ſua perdebant̄. Non em̄
debebāt eū occidere: qꝛ ex ip̄is erat
⁊ in lege eoꝝ ꝯtinebat̄: ⁊ tanta eis
ꝯtulerat beneficia. Vn̄ orabat pa/
trē vt ſi fieri poſſet cū ſalute eoꝝ ꝙ
credat multitudo gentiū. Si vero
iudei cecādi ſunt vt alij videāt fiat
voluntas tua nō mea. Fuit ei tunc
in chriſto quadruplex volūtas: vo
luntas carnis: ⁊ hec nullo mō vo/
lebat pati: voluntas ſenſualitatis:
⁊ renuebat ⁊ timebat: voluntas rō
nis: ⁊ hec obediebat et ꝯſentiebat.
Nam iuxta Eſaiā. Oblatus eſt qꝛ
ipſe voluit: volūtas deitatis: q̄ im/
perabat ⁊ ſniam dictabat. Igit̄ qꝛ
verus erat hō: ⁊ vt verus hō in ma
gna erat anguſtia poſitus: intime
q̄ꝫtum potes cōpatere ei. Cōſidera
diligenter ⁊ vide oēs actus ⁊ affli/
ctiōes dñi tui. Venit aūt poſt hec
ad diſcipulos: ⁊ dixit eis. Dormite
iā ⁊ requieſcite: q̇ ibi aliquantulū
dormierūt. Bonus āt paſtor vigila
bat ſuꝑ cuſtodia puſilli gregis ſui.
O grandis amor vere in finē dile/
xit eos: cū in tanta poſitus agonia
procurat eoꝝ quietē. Videbat a lō
ge aduerſarios ſuos: venientes cū
armis ⁊ fuſtib⁹: nec tn̄ diſcip'los ex
citauit: niſi cū ꝓpe ⁊ iuxta eū fuerūt.
Tunc aūt dixit eis. Satis dormi/
ſtis: ecce q̇ me tradet aꝓpinquat
Et adhuc eo loquēte venit ille neq̄ꝫ
Judas ante eos peſſimus merca/
tor ⁊ oſculatus eſt eū: dr̄ ꝙ moris
erat dñi Jeſu diſcipulos q̊s mitte/
bat cū oſculo recipere redeūtes. Et
ꝓpterea proditor oſculū illis in ſi/
gnū dedit ⁊ precedēs alios cū oſcu
lo rediit quaſi dicat: nō ſū ego cuꝫ
iſtis armatis: ſꝫ rediēs more ſolito
te ſaluto. Aue rabbi. O vere prodi
tor. Intuere ⁊ ꝓſequere dñm Jeſū:

q̄ꝫ benigne ſuſcipit īfelices amplexus ⁊ oſcula proditoria: quē paulo ante ſūmo cibauerat cibo eius lauerat pedes: ⁊ quō ſe patit̄ capi: ligari: percuti: ⁊ furibūde duci: ac ſi eſſet malefactor ⁊ impotens ad ſe defendendū: quō etiā cōpatit̄ diſcipulis fugiētib⁹ ⁊ errantib⁹: ⁊ dolores eoꝝ cernere potes: q̄ꝫ inuiti et dolētes ⁊ ſuſpiria dantes: vt orphani ⁊ timore preteriti recedebant. Et magis augebat̄ eoꝝ dolor qn̄ videbāt magiſtrū ⁊ dn̄m ſuū ſic viliter trahi per canes illos: ⁊ quaſi agnū māſuetū ſine reſiſtentia ſequi. Aſpice qualiter manib⁹ poſt tergū ligatis exclamidatus tunica ſuccinct⁹ nō curioſe: capite diſcooptus: curuus ex vatigatiōe ⁊ vehemēti accelerantiōe incedēs. Cum āt p̄ntat̄ p̄ncipib⁹ ⁊ ſeniorib⁹ ꝯgregatis: illi q̄ſi leo capta preda exultant examināt falſos teſtes ꝓcurāt: ꝯdemnāt: ⁊ expuūt in eius faciē ſanctiſſimā: oculos velant: collaphiſant: ⁊ alapis cedunt dicētes. Propbetiſa nobiſ chriſte q̇s eſt q̇ te percuſſit. Et multis obprobrijs vexāt in oīb⁹ patiēter ſe habentē. Tandē illi maiores receſſerūt mittentes eū in quendam carcerē de ſubtus ſolariā: q̇ adhuc videri poteſt: vel eius veſtigiū: ⁊ ligauerunt eū ad quandā columnā lapideā: cuius pars ibi poſtea murata fuit: ⁊ adhuc apparet vt habeo a fratre meo qui vidit: dimiſerūtqꝫ eū: ⁊ cum eo quoſdā armatos acutioris cuſtodie qui eū per totā noctē vexauerūt: deriſiōib⁹ vacantes: Cogita qualiter illi audaces ⁊ peſſimi ꝯuiciātes ei dicebāt. Credebas tu eſſe melior ⁊ ſapientior principibus ⁊ ſapientib⁹ noſtris? que ſtulticia erat tua? Non debebas ꝯtra eos os aperire. Quō fuiſti ita auſus? Nunc apparet ſapientia tua. Tu ſtas mō ſicut cōuenit paribus tuis. Dignus em̄ es morte ⁊ tu habebis eā. Et ſic per totā noctē modo vnus mō alius inſultat verbis ⁊ factis ꝯtra eū quanta poſſunt dicunt ⁊ faciūt iſti peſſimi ꝯtra dn̄m. Intuere dn̄m verecundū ⁊ patienter tacentē ad om̄ia tanq̄ꝫ in culpa deprehēſum: vultu in terra depreſſo ⁊ compatere ei. O dn̄e ad quoꝝ manus veniſti? Quanta eſt patiētia tua? Vere iſta eſt hora et poteſtas tenebraꝝ. Et ſic ſtetit rect⁹ ad columnā ligatus vſqꝫ mane. Interim aūt Johānes vadit ad dn̄am ⁊ ſocias intra domū Magdalene in qua cenā fecerāt: ⁊ narrat om̄ia que de dn̄o Jeſu ⁊ diſcipulis ꝯtingerant. Tunc indicibilis planctus ⁊ clamor factus eſt. Cogita in quāto dolore ſūt poſite de dilectiſſimo dn̄o ſuo: q̄ꝛ bene vident et credunt ip̄m mortuū. Tandē dn̄a ſe dedit ī partē: ⁊ ad orationē ſe ꝯuertit dicens. Pater reuerendiſſime: pater pijſſime: pater miſericordiſſime recōmendo vobis vnigenitū veſtruꝫ dilectiſſimū. Nō ſitis ei crudelis: q̇ cunctis eſt benignus. Pater eterne ne moriat̄ filius meus: nihil em̄ malefecit. Sed pater iuſte ſi redēptionē vultis humani generis: obſecro per aliū modū faciatis. Omnia em̄ poſſibilia ſunt vobis. Rogo vos pater ſanctiſſime ſi vobis placet: non moriatur filius meus. Liberate eum de manu peccatorum: et reddite ipſum mihi. Ipſe per obedientiā et reuerentiā veſtrā nō ſe iuuat: derelinquit ſeipſum: et

vt imbecillis ⁊ impotēs eſt inter il
los: ideo vos eū iuuate. Hec ⁊ his
ſimilia orabat dña noſtra toto affe
ctu ⁊ conatu ſuo: ⁊ cū amaritudi/
ne magna. Compatere igiꝶ ei quā
ſic cernis afflictā.

## Quomodo principes du/xerunt Jeſum ad Pylatum mane. Ca. LXVII

Mane aūt facto tempeſtiue re
dierunt pncipes ⁊ maiores
pplī: ⁊ feceꝛt ei ligari manuſ
poſt tergū dicentes. Ueni nobiſcū
latro: veni ad iudiciū: hodie cōple/
buntꝶ maleficia tua: mō apparebit
ſapīa tua: ⁊ ducebāt eum ad pyla/
tū ⁊ ipe quaſi nocēs ſequebaꝶ eos:
cū eſſet agnus mitiſſim⁹. Cum aūt
mater ⁊ Johānes ⁊ ſocie: nam ſū/
mo mane exierūt vt venirēt ad euz:
occurrerēt ei in biuio: vidētes eū ſic
vituperabiliꝛ ⁊ enormiter ab illꝭ ad
duci canibꝫ: qͣꝫto dolore replerentꝶ:
dici nō poteſt. In illo autē mutuo
aſpectu fuit dolor vtriſqꝫ. Nā ipſe
dñs affligebaꝶ multū ex cōpaſſiōe
erga illos maxīe q̄ ad matrē. Nam
ſciebat ꝙ pro ipo dolebat vſqꝫ ad
mortē: ⁊ vſqꝫ ad ſeparationē aīe a
corpe. Conſidera ⁊ intuere qͣꝫ com/
paſſiua ſūt oīa iſta. Duciꝶ ergo ad
Pylatū: ⁊ ſui eū a longe ſequunꝶ:
nec poterāt appropinquare. Accu/
ſaꝶ ab illis de multis. Ipe vero ta/
cebat: ſꝫ pauca preſidi loquebatur.
Preſes aūt nō vidēs in eo cauſam
mortis: miſit eū ad Herodē. He/
rodes āt volens videre de ſuis mi
racilis gauiſus eſt: ſꝫ nec miraculū
nec verbū aliqͦd potuit habere ab
eo. Igiꝶ Herodes reputās eū ſtul
tū: i deriſionē induit eū veſte alba:
⁊ remiſit eum Pylato. Et ſic vides
quō dñs Jeſus nō ſolū malefactor
ſꝫ ſtulꝛ⁹ reputat⁹ eſt. Ipe āt oīa pa
tientiſſime tolerabat. Attende qua
liter duciꝶ ⁊ reduciꝶ demiſſo capi/
te ⁊ vultu: ⁊ oīm clamores ꝯuitia ⁊
ſubſannatōes audientē. Et forte la
pidū percuſſiōes ⁊ imunditias ia/
cientes: ⁊ matrē ⁊ ſuos cū ingenti
merore a longe ſequentē. Reducto
qͣꝫ eo ad Pylatū illi canes cū auda
cia magna et ꝯſtantia proſequunꝶ
ſuas accuſatiōes. Sꝫ Pylat⁹ nul
lā cauſā mortis inueniēs: nitebaꝶ
eū dimittere. Dixit ergo: Corripiā
eū ⁊ dimittā. O Pylate tu dñm ca
ſtigas: neſcis qd agis: qꝛ nec mortē
nec flagella meruit. Rectius age/
res ſi te ad ſuū nutum corrigeres.
Juſſit āt eū flagellari. Spoliaꝶ er/
go dñs Jeſus: ad columnā ligaꝶ:
duriſſime flagellaꝶ: ſtat nud⁹ corā
oībꝫ elegās verecundus ⁊ ſpecio/
ſus forma pre filijs hoīm: ſuſcipit
ſpurciſſimoꝝ flagella dura ⁊ dolo
roſa: caro illa tenerrima: ⁊ innocē/
tiſſima: mundiſſima: pulcerrima:
flos oīs carnis: ⁊ totius humane
nature repleꝶ liuoribꝫ et fracturis
fluit vndiqꝫ regius ſanguis de oī/
bus partibꝫ corpis ſuperaddiꝶ: rei
teraꝶ: inſpiſſaꝶ liuor ſup liuorē: do/
nec tortoribꝫ ⁊ inſpectoribꝫ fatiga/
tis: iubeꝶ ſolui a colūna ad quā li/
gatus fuit. Ueſtigia crucis oſten/
dit: vt in hyſtorijs ꝯtineꝶ. Hic eum
diligenter ꝯſidera ꝑ morā longā: ⁊
ſi ei nō cōpatieris cor lapideū te ha
bere reputa. Tunc impletuz eſt qͦd
dictū eſt per Eſaiā. Uidimus eū et
nō erat aſpectus: ⁊ reputauim⁹ eū
q̄ſi leproſū ⁊ hūiliatū a deo. O dñe
qualis fuit ille tā audax ⁊ temera/

ruis q̇ te ſpoliauit: q̇ te ligauerunt
audacioreſ? Sz ⁊ illi audaciſſimi q̇
te flagellauerūt: ⁊ tu ſol iuſticie tu
os radios ſubtraxiſti: iō ſunt tene/
bre ⁊ poteſtas tenebraꝝ: Oēs ſunt
te potētiores. Amor tuus ⁊ iniqui/
tas noſtra ſic te fec̄ imbecillē. Ma
ledicta ſit iniq̄tas pro qua ſic affli/
geris. Soluto eo a columna ducit̃
ſic nudus: flagellatus: ꝑ domū ꝑ/
ſcrutando ꝓ pānis ſuis: q̇ ſparſim
ꝑ domū ꝓiecti fuerāt a ſpoliatoribꝫ
Erat tremebundus ⁊ afflictus ꝓpt̃
frigus. Cumq̄ʒ ſe vellet veſtire: ꝯten
dunt peſſimi dicētes Pylato. Dn̄e
hic ſe regē facit coronemꝰ eū more
regio. Et accipiētes clamidē ſericā
rubeā veterē ⁊ turpē ⁊ veſtierūt eū:
⁊ ſpinis coronauer̄t. Cogita quas
afflicióes ſuſtinet prout ipi volunt
purpurā ſuſcipit: caput corone ſpi
nee parat: arundinē tollit: ⁊ corā ſe
genu flectentibꝫ nō dat reſpōſum:
ſʒ caret ⁊ obmuteſcit. Cerne igit̃ eū
cū cordis amaritudine: marie cuʒ
caput eiꝰ plenū ſpinis ḡuit̃ ⁊ ſepe ꝑ
cutit̃. Qualiter depreſſo collo pati
enter cū dolore magno ictus acer/
bos ſuſcipit. Perforabant eñ ca/
put eius ſanctiſſimū ille ſpine acer
biſſime: ⁊ totū ſanguie madefacie
bant. O miſeri quō vob̄ timendū
apparebit caput illud: qđ nunc ſic
ꝑcutitis. Illudebāt eñ ei tanq̄ʒ re/
gnare volenti: oīa ſuſtinet q̄ſi coꝝ
ſeruus. Sed nec illis ſuffecerat ꝙ
maiorē illuſionē totā cohortē ꝯgre
gauerūt: ſʒ etiā corā Pylato ⁊ toto
populo adduxerūt eum foras pu/
blice ſic illuſum: ⁊ portantē ſpineā
coronam: ⁊ purpureū veſtimentū.
Cerne quō ad terrā ſtat demiſſa fa
cie corā tota multitudine vociferā
te ⁊ clamāte. Crucifige crucifige eū
⁊ ſemꝑ eū irrident ⁊ ei inſultante.
Quaſi ſapiētiores eo fuer̄t: ⁊ qua/
ſi mō apparet ꝙ ipē inſipiēter ſe ha
buit ꝯ̄ ꝑ̄ncipes ⁊ phariſeos q̇ ſic eū
aptari fecer̄t ⁊ ad talē finē ꝑduci: ⁊
ſic non ſolū dolores ⁊ penas: ſʒ ob
probria ſuſcipiebat ab eis.

## Meditatio paſſiōis ad tertiam. Ca. LXVI

Petit ḡ tota iudeoꝝ multitu
do magnis vocibꝫ vt cruci
figat̃: ⁊ ſic ꝯdemnat̃ a ꝑ̄ſide
miſero Pylato. Non recordant̃ be
neficioꝝ ⁊ opeꝝ eius. Nō mouent̃
ꝓpter innocentiā eius: ⁊ qđ videtur
crudelius: nō trahunt̃ ꝓpter affli/
ctionē quā ei vident ſuſtinere: ſʒ ex
ultāt ꝑ̄ncipes ⁊ maiores: q̄ habēt
intentū ſuū prauū: rident ⁊ irridēt
eū q̇ eſt verus ⁊ eternus deꝰ: ⁊ mor/
tem accelerāt q̄ʒtum pn̄t. Reducit̃
aūt dn̄s Jeſus intus ſpoliatus il/
la purpura: ⁊ adhuc nudus coraʒ
eis adducit̃: ⁊ dat̃ ei reueſtiendi li/
centia. Attende diligēter ⁊ ſtatū eiꝰ
ꝯſidera: ⁊ in ſingulis actibꝫ vt inti/
me cōpatiaris ⁊ ſil̃ patiaris. Auer
te parūper oculos a deitate: ſz eum
puꝝ hoīem ꝯſidera ⁊ videbis iuue
nem elegantē: nobilē: innocentē: et
amantiſſimū: totū flagellatū: ſan/
guinibꝫ liuoribꝫ reſperſum: pānos
ſuos ſparſim vndiq̄ʒ proiectos: de
terra colligentē: ⁊ cū quadā verecū
dia reuerentia ⁊ rubore ſe corā illis
ſemꝑ ipm̄ irridentibꝫ reueſtientē:
ac ſi eſſet a deo derelictus: ⁊ oī au/
xilio deſtitutus: iō pietate ⁊ cōpaſ/
ſione mouearis. Nam mō colligit
vnā tunicā: mō aliā: ⁊ ſic corā illis
ſe veſtit. Redeas poſtea ad deitatē

cum rubore ⁊ reuerētia reueſtientē
ac ſi eſſet viliſſimus hō ⁊ ſeruꝰ em/
pticius ſub illoꝝ dñatione ꝯſtitu/
tus: ⁊ ab eis pro aliquo exceſſu cor
reptus ⁊ caſtigatus. Diligēter mi/
rare eius humilitatē: ⁊ diligēter ei
teipm̄ ꝯforma. Eiſdem etiā ꝯſidera
tioībꝫ cōpatiens intueri potes eū/
dem cū ad columnā ligatus: ſic e/
normiter flagellatᷣ. Tunc eo veſti/
to ducunt foras ne mortē differāt:
⁊ tunc venerabile lignū crucis lon
gū ⁊ groſſum ⁊ multū graue ponūt
ſuper humeros eius: et ipſe tanq̄ȝ
agnus manſuetiſſimus ſuſcipit ⁊
portat. Et vt dr̄ in hyſtorijs opinio
eſt crucē dñi quindecim pedes ha/
buiſſe in altū. Et tunc ducitᷣ accele/
ratᷣ ⁊ obprobrijs ſaturatᷣ. Ductus
aūt foras fuit cū duobꝫ latronibꝫ.
Et hec eſt ſocietas ſua. O dñe Je/
ſu q̄ȝtam verecundiā iſti vr̄i amici
faciunt vobis: latronibꝫ vos ſociāt
ſȝ ⁊ deterius faciūt: qꝛ vobis crucē
portandā imponūt: qđ de latroni/
bus nō legitᷣ. Unde nō ſolū Eſaiā
cum iniq̄s deputatus eſt: ſȝ vt ini/
quoꝝ iniquior. Mirabilis eſt pa/
tientia tua dñe. Conſidera quō va/
dit ſubtus crucē curuus ⁊ fatiga/
tus: ⁊ cōpatere ei q̄ȝtum potes ī an
guſtias et obprobia poſito. Quia
vero ꝓpter multitudinē gentiū me
ſtiſſima mater appropiuquare neq̄
bat iuit per aliā viā breuiorē celeri
ter cū Johē ⁊ ſociabꝫ: vt alios pre/
cedēs ei appropinquare poſſet. Cū
autē extra portā ciuitatis ex ꝯcur/
ſu viaꝝ eum habuit obuiū: cernēs
eum ſic oneratū ligno tam grandi
ſemimortua eſt pre anguſtia: nec ei
verbū dicere potuit: nec dñs illi ac
celeratus ab eis q̄ eum ad crucifi/
gendū ducebāt. Ulterius paꝝ ꝓ/
cedens vertit ſe ad mulieres flen/
tes dicēs. Filie hierl'm nolite flere
ſup me: ſȝ ſuper vos ⁊ ſup filios ve
ſtros ⁊c̄. Ex his duobꝫ locis appa/
rent veſtigia eccleſiaꝝ que ibi facte
fuerāt in hoꝝ memoriā: vt habui a
fratre meo q̄ vidit: qui etiā dicit: ꝙ
mons caluarie vbi fuit crucifixus
diſtabat a porta multū: vñ nimis
erat longa portatio crucis. Cum ḡ
vlterius proceſſiſſent: ⁊ ita eſſet fa/
tigatus ⁊ fractus ꝙ amplius por/
tare nō poſſet: depoſuit eā ⁊ illi peſ
ſimi mortē eius differre nolētes: ti
mētes ne Pylatus ſententiā reuo
caret: qꝛ oñderat voluntatē dimit/
tendi eum: coegerᷣt quendā vt cru
cē portaret. Jp̄m autē ſic oneratū:
⁊ vt latronē ligatū: duxerᷣt ad locū
caluarie. Nōne igitᷣ hec que in ma
tutinali p̄ma ⁊ tertia horis paſſus
eſt: tibi videntᷣ abſq̄ȝ aliq̄ crucifixio
ne vehemētiſſimi doloris eſſe: ama
riſſimi eſt ſtupendi horroris? Certe
ſic puto: ⁊ ad cōpaſſionē multū va
lentia: ⁊ paſſionē inferētia. Sic igi
tur cōpleta videntᷣ que de his tribꝫ
horis dicenda fuerᷣt.

## Meditatio paſſiōis ad horam. vi. ⁊. ix. Ca. LXVII

c Um igitᷣ dñs Jeſus vitupe
rabiliter ductus ad locū fe
tidū caluarie venit: ꝯſpice/
re potes operarios malos vndiq̄ȝ ne
quiter operari. His autē toto mē/
tis intuitu te p̄ñtem exhibeas: ⁊ co
gita ſingl'a q̄ fiūt ꝯ dñz: ⁊ q̄ dicuntᷣ
ab ip̄o dño ⁊ fiunt. Uide igitᷣ ocu/
lis mētis alios figere: alios para/
re clauos ⁊ martellos: alios para
re ſcalas ⁊ neceſſaria. alios ordina

re q̃d facere debeāt: alios ip̄m ſpo
liare. Spoliatus autē ⁊ nudus eſt
corā tota ml'titudine etiā nunc ter
tia vice. Renouant̄ fracture ꝓpter
pānos ad carnē applicatos ⁊ adhe
rentes. Nunc ꝯſpicit mater filiū ſui
ſic corpus tractari: dolore mentis
affligit̄: ⁊ ſupra modū triſtat̄ cū ru
bore: q2 eum videt totaliter nudū:
q2 nec femoralia dimiſerīt ei. Acce
lerat mater ⁊ approximat filio ⁊ am
plerat̄ ⁊ cingit eū velo capitis ſui.
O in q̃ta amaritudine eſt aīa ſua.
Nō credo ꝙ ei verbū dicere potue
rit: q̃z libēter amplius iuuaret eum
ſi poſſet: ſ3 nō poterat eum iuuare:
eripit̄ ei de manib9 ſuis furibunde
⁊ ducit̄ ad pedē crucis. Hic modū
crucifixiōis diligēter attende. Po
nunt̄ due ſcale: vna retrorſu3: alia
in brachio ſiniſtro ſuper quas ma
leatores aſcendūt cū clauis ⁊ mar
tellis. Ponit̄ alia parua ſcala a p
te anteriori attingens vſq3 ad locū
vbi pedes figi debebāt. Compelli
tur dn̄s Jeſus aſcendere crucē per
paruā ſcalā. Ip̄e vero ſine rebellio
ne ⁊ ꝯtraditiōe: humiliter facit q̄c
quid volunt. Cum igit̄ eſt in ſupe
riori gradu pue ſcale vertit ad cru
cērencs ap̄it illa regalia brachia:
expandit manus pulcerrimas ⁊ ex
celſas eas porrigens crucifixorib9
ſuis. Aſpicit in celū ad patrē dicēs
Ecce meip̄m vſq3 ad mortē humi
liaui vt voluiſti ꝓpter humani ge
neris amorē: placet accepto: et me
pro eis offero q̄s mihi fratres eſſe
voluiſti. Accepta igit̄ ⁊ tu ac deīn̄d
placabilis eſto eis mei amore ⁊ om
nem veterē maculā abſterge ⁊ elon
ga ab eis. Pro eis me offero. Qui
autē poſt crucem eſt: accipit manū
eius dexterā ⁊ eā cruci fortiter affi
git. Quo facto ille qui ex eius late
re ſiniſtro eſt: ſiniſtrā accipit manū
trahit quātū poteſt: extendit ⁊ aliū
